



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio
Perfectionis Libri Dvo**

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

Praefatio. Carissimis Fratribvs Studivm Perfectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

P R A E F A T I O.

CARISSIMIS FRA-
TRIBVS STVDIVM
PERFECTIONIS.



CRIPSI, fratres amātissimi,
de studio PERFECTIONIS. Vos
me coegistis: ardentissimum
enim PERFECTIONIS vestrae
desiderium, pietas, suauissi-
maque caritas, mihi ardentis
faces admouerunt. Multa à

singulis priuatim mihi proposita: plurima in
collationibus spiritualibus, quæ hoc alteroque
secessu vestro annuo, otio vere negotioso, &
negotio vtilliter otioso, institutæ sunt. Optastis
frequentibus vobis copiosius responderi. Insi-
nuatio desiderij vestri mihi instar machinarum
& arietum est: *repletus sum consolatione, superabun-
do gaudio, vestrum in Domino profectum, vestram* ^{2. Cor. 7.}
æmulationem sanctam considerans. Video te-
neras IESV Christi plantas exurgentes, quæ
(vt spero) in arbores excrescent non infecun-
das. Magno sane mihi solatio est consideranti
virtutem cum eruditione certare, nec opprimi
spiritum scientia ac studiis, sed eundem cresce-
re roborari, ornari, & ad frugem in Ecclesiam
Dei inuehendam disponi; meritoque mihi ve-
nit in mentem, vt cum D. Paulo *gratias agam Deo* ^{1. Cor. 1.}
*meo pro gratia quæ data est vobis in Christo Iesu, quia
in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in
omni*

omni

omni scientia; ita ut nihil vobis desit in vlla gratia ex-
 spectantibus reuelationem, Domini nostri Iesu Chri-
 sti, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine
 Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii
 eius Iesu Christi Domini nostri. Vos hortor in Do-
 mino, ut (quemadmodum cœpistis) humanio-
 rum litterarum, Philosophiæ, ac Scholasticæ
 Theologiæ studium sedulo, religiose, magno-
 que honoris diuini zelo prosequamini, ad lau-
 dem & gloriam illius, qui vos in Societatem
 Filij sui vocauit. Res non tam vestra quam eius
 agitur. Arma ac suppellectilem cōparatis futuræ
 expeditioni, contra dæmones omnes, qui supre-
 mæ Maiestatis gloriam nomenque extinctum
 volunt; contra vastissimas illas Regiones, veri
 Dei cognitione destitutas, Indiam vtramque,
 Orientalem & Occidentalem; contra amplissi-
 ma Regna Chinarum & Iaponum, aliasq; Pro-
 uincias hæreseon furore ac dementia occupatas
 Illic fratres vestri magna vocis contentione vos
 opemque vestram appellant in subsidium. Totus
 deinde mundus in maligno positus est; & quia in sa-
 pientia sua gloriatur, contemnit illiteratos; vult
 pecora in agros ablegari; nobis exprobrat infan-
 tiam atq; ignorantiam. Certe contra malitiam, quæ
 calliditate & astutia nititur, scientia, arte, inge-
 nio, iudicioque opus est.

2. Est præterea Scientia magnum virtutis or-
 namentum, animæ eximium decus ac perfe-
 ctio, quæque ut ceteras artes, ita & PERFECTI-
 O N I S adipiscendæ egregie promouet studium.
 D. Basilii verba sunt: *Pœtis & Oratorib. & omnib.*
homi

1. Ioan. 5.
 Scientias
 humanas
 non obesse
 studio Per-
 fectionis,
 aut
 Theologia
 mystica, de-
 claratur
 1.
 Auctori-
 tate Patrū.
 Homil. 24.
 ad Adolefc.
 quomodo
 ex libris
 Gentilium
 proficiant;
 post inicitū.

hominibus vtendum est, vnde futura sit aliqua vtilitas, ^{Sim. 14.}
quæ ad animæ faciã adificationem. Velut enim ful-
lones ac tinctorum, qui medicamentis quibusdam rem
preparant, atque ita demum colorem quem cupiunt,
sive purpureum, sive aliquem alium, inducunt; sic ^{Lib. 6. hi-}
et nos si gloria pulchritudinis vitæ huius, quam tan- ^{stor. Eccle-}
topere laudamus, illita nobis mansura sit, nisi prius ^{sist. cap.}
purgati, sacras & arcanas Scripturæ disciplinas non ^{14. versio-}
facile attingemus aut percipiemus. De Origine ^{nis anti-}
scribit Eusebius, ipsum idiotas & imperitos ad dis- ^{qua.}
cendum cohortari solitum fuisse; quod non parum ad
intelligentiam sacrarum Scripturarum emolumentis
eis conferret, si aut liberalibus litteris, aut etiam
Philosophicis, exercerentur. Dicebat enim, hanc no-
stram, veram esse Philosophiam; cuius pars illa Gra-
corum, quæ verè non est Philosophia, præcesserat. Non
ergo aiebat idcirco debere partes suas omittere verita-
tem, quia illas sibi præueniens falsitas vindicasset.
Hæc Eusebius. Eam enim veram Philosophiam
volebat esse Origines, quæ virtutis studio
iungeretur. Hieronymus vero, scribens ad ^{Epist. 28.}
Pammachium. sic eleganter hoc argumentum ^{ad Pam-}
persequitur: Si adamaueris captiuam mulierem, ^{machium}
id est, sapientiam secularem, & eius pulchritudine ^{super obitu}
captus fueris; decalua eam, & illecebras crinium & ^{uxoris}
ornamenta verborum cum emortuis vnguibus seca; ^{Paulina.}
laua eam Prophetali nitro, & tunc requiescens cum ^{Deuter. 21.}
illa dicito: Laua eius sub capite meo, & dextera illius ^{Ierem. 2.}
amplexabitur me. Et multos tibi fetus captiua dabit, ^{Cant. 2.}
& de Moabitide efficietur Israelitis. Hæc Hierony-
mus, quasi dicat: Nolo alienigenam, cum ea
veste qua capta est, tibi despondeas: decalua
verticem

verticem eius; superbix vanæque opinionis
 ei tiaram detrahe; induc pro *crispanti crine*, ambi-
 tionisque & honoris desideriis, (quæ scienti-
 tis humanis facile sese immiscent) *caluitium*;
 præuæ intentionis ne pilus quidem remaneat;
 seca auaritiæ & tenacitatis unguis; mollitiæ
 vestem ac *spiritum* libidinosum, studiis maxi-
 me intempestiuum, qui te colaphizet, quiq; ma-
 gis ambitiose vanæque quam religiose scienti-
 am quærentibus subinde insidiatur, exue; &
 nitro diuinæ gratiæ, quæ diuinum honorem
 in studiis spectantibus datur, conscientix tuæ
 faciem lauâ & exornâ. Verum Hieronymum
 ipsum hanc sacræ paginæ figuram interpretan-
 tem audiamus. *Legerat*, inquit, (de B. Paulo lo-
 quitur) in Deuteronomio Domini voce præceptū mu-
 lieris captiua radendum caput, supercilia, omnes pi-
 los & unguis corporis amputandos, & sic eam haben-
 dam in coniugio. Quid ergo mirum, si ego sapientiam
 secularem propter eloqui venustatem & membrorum
 pulchritudinem de ancilla atque captiua Israelitidem
 facere cupio? quicquid in ea mortuum est idololatria,
 voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado,
 & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero
 Domino Sabaoth: labor meus in familiam Christi pro-
 ficat. Pulchre quoque D. Basilius Studiosos in-
 tegra homilia instruit, & inter cetera prolixè
 hortatur. vt apum industriam imitentur in de-
 ligendis floribus. *Velut florum*, inquit, *reliquis*
vsque ad odorem vel colorem est vsus; apes autem mel
ex ipsis excerpere nouerunt: sic & qui diligentes in
legendo non solum quod dulce iucundumq; fuerit in eo-
 rum

Isaia. 3.

2 Cor. 12.

Ierem. 2.

Epist. 84.
ad Magni
Orat. Rom.
tom. 2.

Deut. 21.

Hom. 24.

Similia.

rum libris persequuntur, sed quandam ex eis utilitatem animo referre contendunt. Velut item apes non omnibus floribus insidunt, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed, quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprehendentes, reliquum dimittunt; nos etiam ut sobrii sapientesque, quantum congruum nobis propinquumque veritati ex ipsis fuerit sumentes, reliquum prateramus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus quidquid est utile carpentes, noxium vitemus. Hactenus Basiliius.

3. Non ego vos arbitror, fratres, adeo dementes esse, ut quisquillas granis, auro rubiginem, simulacrum veræ scientiæ præferatis; inter seculares alioquin vos remansisse oportuerat: sed ex Ægypto egredientes, inuitos Ægyptios spoliastis, eorum ornamenta in cultum diuini *Exod. 12* Numinis asportantes. Nec id difficile in Religione, ubi inter pleraque, quæ tractantur, parua differentia est: alii namque templi materialis ornandi curam habent, alii mensæ parandæ ac ciborum; alii ianuas aperiant, alii morbidos solantur, sepeliunt alii mortuos. Singula una obedientia ac caritate nobilitantur. Quanto magis litteræ, quæ ad animarum Creatori vel conciliandarum vel conseruandarum salutem procurandam aptissima sunt instrumeta, si humiliter, si cum caritate, si ex obedientia tractentur! Nobilissima hæc vestis est, quæ immentum decus ac valorem ignobili alioquin trunco impertitur: aurea sunt omnia, omnia viua, quæ tali veste amiciuntur atque adornantur.

**

Beati

Beati illi, quorum opus (ait B. Augustinus) assidua oratio est. Pari modo beati illi, quorum opus perpetua caritas est, quorum mens non minus in Deum assurgit lectione cuiuspiam Poetae aut Oratoris profani, quam pii alicuius auctoris. Amor plurimum valet, & is omnia in rem amatam facile transfert.

2.
Ab utili.

4. Huiusmodi scientiæ, quæ sic acquiritur, e-
ximii fructus existunt, cum in eruditorum ani-
mīs, tum in vniuersam Ecclesiam emanantes.
Viri humiles, præclarisque virtutibus præditi,
magni sunt, sed apud Deum; mundus eos non
cognouit: expedit ad cæcorum mortalium a-
nimos demerendos, vt iis non hispidus appa-
reas, sed cū pulchra veste & ornamentis, quo-
rum aspectu capiantur. Hoc piissimus Ber-
nardus neruose paucis verbis declarat. Nō igno-
ro, ait, quantum Ecclesiæ profuerint scientia, & pre-
sint litterati viri, siue ad refellendos eos qui ex aduer-
so sunt, siue ad simplices instruendos. Denique legi:
Quia tu repulisti scientiam, repellā & ego te, vt non
fungaris mihi sacerdotio. Legi: Qui docti fuerint, ful-
gebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam
erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aternitates.
Hoc quoque eleganti comparatione D. Basili-
us. Velut plantis, inquit, quibus propria virtus est,
fructu pulcherrimo scatere; folia nihilominus ramis
coniuncta quendam ferunt ornatum: sic & anima, cui
præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen
exteriore sapientia circumdatur, sicut foliis quibus-
dam vmbra fructui & aspectum non intempestiuum
præbentibus. Hactenus Basilius:

Serm. 3. in
C. 6.
Osee. 4.
Dan. 12.

Homil. 24.

§. Hæc

5. Hæc deinde scientia, caritate vestita, san-
ctorū Patrum sanctitatem & auxit & illustravit.
Eorum exempla virtute ac sciētia illustria, quid
nobis sit agendum, sat clare loquuntur. Quam
erudite, quam eleganter D. Augustinus argu-
mentum hoc confirmat! Philosophi (ait) qui vo-
cantur, si qua forte vera & fidei nostræ accommodā
dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda
non sunt, sed ab eis etiam, tanquam iniustus possesso-
ribus, in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægy-
ptii non solum idola habebant, & onera grauia, quæ
populus Israel detestaretur & fugeret; sed etiam vasa
atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ
ille populus exiens de Ægypto sibi potius tamquam ad
vsum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate
propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter
commodantibus ea, quibus non bene vtebantur: sic do-
ctrinæ omnes Gentilium non solum simulatæ & super-
sticiosæ signa grauesq; sarcinas superuacanei labo-
ris habent, quæ vnusquisque nostrum, duce Christo de
societate Gentilium exiens, debet abominari atq; de-
uitare; sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis a-
ptiores, & quædam morum præcepta vtilissima conti-
nent, de quibus ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueni-
untur apud eos: quod eorum tamquam aurum & ar-
gentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam
quasi metallis diuinæ prouidentia, quæ vbiq; infusa
est, eruerunt, & quo peruerse atque iniuriose ad obse-
quia demonū abutuntur, cum ab eorum misera socie-
tate sese animo separat, debet ab eis auferre Christi-
anus, ad vsum iustum prædicandi Euangelii. Vestem
quoque illarum, id est, hominum instituta, sed tamen

3.
Ab exem-
plo sancto-
rum Patrū
Li. 2. de doc.
Christi. ca.
40.

Exod. 12.

** 2

accom-

accommodata humana societati, qua in hac vita carere non possumus, arripere atque habere licuerit in usum committenda Christianum, nam quid aliud fuerunt multi boni fideles nostri? nonne aspicimus quāto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vitiis taceam; quanto innumera- biles Graeci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus viris superstitiosa Gentium consuetudo, & maxime illis temporibus, cum Christi iugum decutiens, Christianos persequeretur, disciplinas quas utiles habebat numquam commodaret, si eas in usum vni- us Dei colendi, quo vanus idolorum cultus excinderetur, conuersum iri suspicarentur: sed dederunt aurum & argentum & vestem suam exeunti populo Dei de Aegypto, nescientes quemadmodū illa, quae dabant, in Christi obsequium redderentur. Hoc Diui Augustini testimonium instar ceterorum esse debet, ut pote ad probandum, quod intendimus omnibus numeris absolutum: ideoque taceo Hieronymum, qui integra epistola ad Magnū Oratorem Romanum copiose argumentum istud pertractat.

Epist. 84.
tomo. 2.

4.
Sacra Scri-
ptura testi-
monii &
exemplis.
Prouer. 1.

6. Addit tamen inter cetera, hanc doctrinam sanctos Patres hauisse ex diuinis litteris. Quis nesciat, inquit, in Moysse & in Prophetarum voluminibus quadam assumpta de Gentilium libris? & Salomonem Philosophis Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? vnde in exordio Prouerbiorū com-
mo-

monet, vt intelligamus sermones prudētia, versutiasq̄
 verborū, parabolā, & obscurum sermonem, dicta sa-
 pientum, & anigmata; quæ proprie Dialecticorum
 & Philosophorum sunt. Sed & paulus Apostolus Epi- *Tit. i.*
 menidis Poetæ abusus versiculo est, scribens ad Titum *1. Cor. 15.*
 Cretenses semper mendaces, ventres pigri. In alia quo
 que epistola Menandri ponit senarium. Corruptum
 enim mores bonos colloquia praua. Et apud Atheni-
 enses, in Martis curia disputans, Aratum testem vocat *Act. 17.*
 Ipsi enim & genus sumus. Ac ne hoc parum esset,
 ductor Christiani exercitus & Orator inuictus, pro
 Christo causam agens, etiam inscriptionem fortui-
 tam (nempe, Ignoto Deo) arte torquet in argu- *1. Reg. 17.*
 mento fidei: didicerat enim à vero Dauid extorquere
 de manibus hostium gladium, & Goliath superbißimi
 caput proprio mucrone truncare. Hæc Hieronymus.
 7. Nouerant quippe sancti Patres, Rachel, *5.*
 mulierem sanctam, idola patris in bonos vsus *Figuris sa-*
 furatam fuisse; Gedeonem, iubente Domino, *cræ Scriptu-*
 taurum patris abstulisse, & alterum à cultorib. *ra.*
 Baal, succisoque nemore, quod circum aram *Gen. 31.*
 Baal erat, holocaustum ex iis vero Deo obtu- *Iudic. 6.*
 lisse; nihil obesse quo minus falsorum Deo-
 rum ac Gentilium res gestas in æterni Numi- *1. Reg. 6.*
 nis obsequium transferamus, si modo igne
 sacro cuncta expientur: nouerant Bethsamitas, *2. Reg. 8.*
 visa arca Dei, concidisse ligna plaustri, quo ipsa
 uehebatur, vaccaque, quæ plaustrum traxe-
 rant, superpositas immolasse Domino; Dau-
 dem sanctissimum Regem arma aurea, quæ ha-
 bebant serui Adarezer, detulisse in Ierusalem,
 & vasa aurea, argentea, & ærea sanctificasse

1. Mach. 3.

Domino cum argento & auro, quæ sanctifica-
uerat de vniuersis gentibus quas subegerat, &
ex his vasa, templo excitato conflata fuisse; de-
nique gladium Apollonii Iudam abstulisse, in
quo (vt ait Scriptura) pugnans erat cunctis die-
bus: victis namque hostibus, gloriosum est eo-
rum armis vti; vt, quibus ipsi iugulum nostrū
petebant, iisdem nos ceruices demeramus.
Hæc sanctorum Patrum doctrina est: quos si
vitæ morumque duces sequamur, à rectitudi-
ne vitæ aberrare non possumus.

Obiectioni
responde-
tur.

1. Cor 8.
Sermones.
53. de ver-
bis Domi-
nica 6.

8. Hortantur tamen, & sedulo inculcant, ca-
ueamus à superbia: scientia enim sine caritate
stulticia est. *Scientia inflat*, (ait Apostolus) *caritas*
vero edificat. Quid ergo? (ait Augustinus) *scien-*
tiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire potius
quam inflari? Vt quid vobis loquimur, si melior est i-
gnorantia quam scientia? vt quid vobis disputamus?
vt quid, quod nostis, admonemus; quod non nostis, in-
ferimus? Scientia cauenda est ne inflat: ergo amate
scientiã, sed ante ponite caritatẽ. Scientia si sola sit,
inflat; quia vero caritas edificat, non permittit scien-
tiam inflare. Ibi ergo inflat scientia, vbi caritas non
edificat; vbi autem edificat, solidata est. Non est ibi
inflatio, vbi Petra est fundamentum. Quando autem
tentat inflatio, hoc est, elatio? vtique vbi & quando
caritas deest. Hæc Augustinus: vbi mentium
piarum timorẽ ac dubitationem exoluit; quæ
dum litterarum studiis incumbunt, meliorem
partem relinquere formidant: quod studia my-
sticam Theologiam impedire videantur, aut
superbiæ magnam ansam præbere. Arbitror
tamen

tamen verum esse, quod nonnullis probatur,
superbiæ matrem esse ignorantiam. Si enim a-
nimus sese cognosceret, non facile se extolle-
ret. Adde ignorantiam cum superbia magnum
habere commercium. *Omnes enim, ait quidam*
trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupidi-
tatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi au-
tem, errare, nescire, decipi, & malum & tur-
pe dicimus. Hinc fit, vt ignorantes, qui minus
æstimari quam ceteri nolint, exigua sæpe ostē-
tent pro magnis, ne ignorantes habeantur; q̄
eruditis non accidit, vt enim Reges, aut Prin-
cipes, alique ex illustri genere orti, non egēt
veste elegantiori, per quam nobilitas stem-
mataque eorum appareant; illis abunde est, id
omnibus esse perspectum: sic eruditis ostenta-
tione opus non est, imo vero excellens erudi-
tio magnam ad humiliter de se sentiendum fa-
ciem præfert; quo enim quis in aliquo genere
scientiæ amplius profecit, eo plura sibi deesse
in hac ceterisque scientiis cognoscit, merito-
que sese discipulum ac tironem reputat, cum
immensum pelagus scientiarum illi sese obii-
ciat. cui vixdū digitū immerfisse sibi persuadet.
9. Hæc vero non ita à me dicta sint, vt PERFE-
CTIONEM in cognitione rerum humanarum
collocandam esse existimem; absit: sed piis in-
firmisq; mentibus satisfacere volui. *Emulami-*
ni interea, amantissimi fratres, charismata me-
liora, En, adhuc excellentiorem humanis scientiis
viam vobis demonstro: Amate scientiam, sed præ-
ferte caritatem: propono vobis studium PER-

Cic li. 1. de
Offic. iniv.
de prudēt.

Similitudo
accōmoda.

Praferatur
Perfectio
scientiæ.
1. Cor. 12.

*Li. de nat.
& grat. c.
12. tom. 7.
Li. 1. Padag
c. 6.
Li. 2. ca. 6.
de Iacob &
vita bea-
ta.
Part. 1. q. 6
art. 3.*

FECTIONIS, quod ceteris omnibus præponendum est. Cum studium PERFECTIO-
namus, duo dicimus: finem, quæ PERFECTIO
est; & viam ad finem, quod vestrum studiū est.
PERFECTIONEM VOCO cum D. Augustino, cui ni-
hil additur, cum id, quo tenditur, ceperit, possederit;
summa hæc est PERFECTIO. Aristoteles id per-
fectum esse definit, cui nihil deest: cuius senten-
tiæ Clemens Alexandrinus, ac D. Ambrosius,
(quos secutus est D. Thomas) subscripserunt.
At quis mortalium sic perfectus est, ut nihil ei
desit? probat D. Thomas hanc PERFECTI-
ONEM soli Deo competere. PERFECTIO, inquit, alicuius
rei triplex est. Prima quidem, secundum quod in suo
esse constituitur, secunda, prout ei aliqua accidentia
superadduntur ad suam perfectam operationem ne-
cessaria: tertia vero perfectio alicuius est, per hoc quod
aliquid aliud attingit sicut finem. Vtpote prima per-
fectio ignis consistit in esse quod habet per suam for-
mam substantialem: secunda vero eius perfectio con-
sistit in caliditate, leuitate, siccitate, & huiusmodi:
tertia vero perfectio eius est secundum quod in loco con-
sistit. Hæc autem triplex PERFECTIO nulli creato cõ-
petit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cuius so-
lius essentia est suum esse; & cui non adueniunt ali-
qua accidentia, sed quæ de aliis dicuntur accidenta-
liter, sibi conueniunt essentialiter, ut esse potentem, sa-
pientem, & huiusmodi. Ipse etiam ad nihil aliud ordi-
natur sicut ad finem, sed ipse est vltimus finis omnium
rerum: vnde manifestum est, quod solus Deus habet
omnimodam PERFECTIONEM secundum suam es-
sentiam. Hæc Diuus Thomas. De hac Dei PER-
FECTIONE

FECTIONE dicturi sumus cap. I.

IO. Sed quid de nostra? PERFECTIO in Scri- *Perfectio*
pturis non vno modo accipitur. Interdum .n. *tribus mo-*
perfecti dicuntur, qui semper actu diligunt *dis accipi-*
Deum, & omnia, quæ faciunt, actu in ipsum re- *tur.*
ferunt: cum qua PERFECTIO nullum pecca- *I.*
tum, ne veniale quidem, potest consistere.

Hæc PERFECTIO propria Beatorum est, estque
illa PERFECTIO, quam modo Diuus Thomas
attigit, secundū quod vnumquodq; in suo loco
quiescit; & vt loquitur D. Augustinus, cui ni- *Vbi supra.*
hil additur, cū id, quo tenditur, ceperit, possederit. A- *Phil 3.*

postolus de hoc gradu PERFECTIIONIS loquens
ait: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim;
sequor autem, si quo modo comprehendam in quo
comprehensus sum à Christo Iesu.

II. Perfecti etiam dicuntur, & quidem valde
frequenter in sacris literis, qui Deum super om-
nia diligunt: & licet nō referant actu res suas
in obsequium Christi, tamen parati sunt potius
omnium rerum & ipsius vitæ iacturam facere,
quam Dei gratiam & amicitiam perdere; atque
ita seruant omnia mandata, dum nihil admit-
tunt, quod caritati, quæ finis præcepti est, repu-
gnet. Necessitatis est PERFECTIO hæc; atq; *Matth. 5.*
hunc gradum Christus imperauit, cum ait: *Es-*
te perfecti, sicut & pater vester celestis perfectus est. *Gen. 6.*
De eodem loquitur liber Geneleos: *Noe vir iu-* *Gen. 17.*
stus atque perfectus fuit. & Abrahamo sic Deus
mandat: *Ambula coram me, & esto perfectus.* & po-
pulo Iudæorum in Deuteronomio: *Perfectus e-* *Deut. 18.*
ris, & absque macula, cum Domino Deo tuo. Deni-

** 5

que

Philip. 3. que: *Quicumque perfecti sumus, ait Apostolus, hoc sentiamus.*

3. 12. Tertia PERFECTIO est, quæ consilii dicitur. Hac qui perfecti sunt, non semper actu de Deo cogitant, (neque enim diligunt ut Beati) sed Deo totos se consecrant, atque omnia non proposito tantum, sed re ipsa deserunt, ut Deo placeant; impedimentisque rerum temporalium, corporis & animi, quantum humana fragilitas patitur, sublatis, Deo summo bono adhærescunt, de hac Christus locutus est. *Si vis,*

Matth. 19. inquit, *perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me.* Sic ergo Deo adhærere, sublatis illis impedimentis, quæ nos omni ex parte remorantur, exterminatis quoque vitis omnibus ac passionibus, comparatisque virtutibus eidem adhæsiōni atque vniōni ancillantibus, PERFECTIO est, quam quærimus.

*Perfectio-
nis laus.*

Matth. 11.

Psal. 67.

Matth. 13.

13. Hæc est huius viæ beatitudo; Dei opus perfectissimum; summa inter Deum & animã vniō; summa cum Deo amicitia; Regnum illud cælorum, quod nulli nisi violenti rapiunt; Mons Dei, mons pinguis, Thesaurus in agro absconditus, ad quem comparandum merito omnia vendimus, aut relinquimus; Margarita Euangelica, quam negotiator venditis omnibus suis comparat; est Drachma quam nemo inuenit, nisi qui quærit; denique est illa Sapiencia pretiosior cunctis opibus, regnis & sedibus illustrior, cui aurum & lapides pretiosi conferri non possunt. Hanc, ô amantissimi fratres, hanc diligite à iuuentute

Ibidem.

Luc. 15.

Sap. 7.

Prou. 8.

Sap. 8.

uentute uestra, quærite uobis sponfam assumere, amatores facti formæ illius. Pulcherrima mater est, & mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Filiis illa suis, qui à se erudiri cupiunt, hanc in primis legem præscribit, ut sola cognitione formæ suæ contenti non sint, sed neruos omnes contendant, conatum adhibeant, viam ineant, ut matris in amplexu ruant, ac possideant. & hæc altera pars est huius Epigraphes, qua Opus hoc DE STUDIO PERFECTIONIS insignimus. Non enim dormientibus apparet sapientia, sed iis qui eam magno STUDIO solícite quærunt, & ad fores eius uigilant assidue. quod argumentum fusissime cum diuersis locis, tū maxime libro 2. tractabimus.

14. Alterum præceptum tantæ Matris est, ut à cognitione sui ipsius quilibet incipiat. Pulcherrimum illud studium est, & præceptum sapientia dignissimum: quod Hugo de S. Victore in primis commendat. *Melior es, a't, si te ipsum cognoscas, quam si, te neglecto, cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum: naturas animalium, caelestium omnium & terrestrium scientiam haberes. Multi multa sciunt, & seipsum nesciunt; cum tamen summa Philosophia sit sui ipsius cognitio.* Hæc ille. Antequam Christus sese familiariter Catharinæ Senensi communicaret, ipso (ut scribit Raymundus) diuinarum uisionum initio eidem apprensus dixit: *Si nosti, filia, quis ego sum, & quæ tu es, beata eris. Ego sum, q. s. u; tu es, quæ nō es.* Hac cognitione freta, omnes facile conteres laqueos inimici, numquam uenies contra præcepta mea, omnemq; gratiam

Eccle. 24.
Præcepta
Sapientia
ad studio-
sos Perfectionis.

1.
Conatum
esse adhibendum.

2.
Cognitio
sui. Li. 1. de
anima. c. 9.

In uita eius
apud
Surium rō.
2. die. 29.
Aprilis.

riam

riam & veritatem nullo negotio obtinebis. Paucis
sensatisque verbis Christus multa complecti-
tur: sic enim ipsum nosque cognouerimus, ma-
gnam adepti erimus scientiam. Hinc prioris
huius Operis libri vis in eo tota consistit, ut De-
um exemplar auctoremque PERFECTIO-
NIS agnoscamus, exilitatem nostram nihilum-
que apprehendamus; (quod tamen per gra-
tiam IESU Christi mutari, excitari, erigique
potest (de viribus nostris diffidentes, adhibita
simul diligentia, quam à nobis Deus requirit,
spem omnem nostram in eum transferamus.
Nihil aliud priori libro efficere contendimus.

3.
*Schola affe-
ctus.*

15. Præceptum sapientis Matris tertium est,
si utiliter studere, si proficere vlla in re volue-
rimus, opus esse ut scholam affectus ingre-
diamur; non pascamus solum intellectum, ar-
ida remanente, & insipida, emorientequo vo-
luntate, sed ex omnibus gustet ipsa quam sua-
uis est Dominus. quae de re sapienter Bernar-
dus exponens illud, *Si quis se existimat scire ali-*
quid. Vides quomodo fructum, inquit, & utilitatem
scientiae in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit
modum sciendi: quid? nisi ut scias quo ordine, quo studio,
quo sine quaque nosse oporteat. Quo ordine? ut id
prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id
ardentius: quod vehementius ad amorem. Quo sine?
ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut ali-
quid simile; sed tantum ad adificationem tuam, vel
proximi. Quibus tribus capitibus Diuus Ber-
nardus complexus est, quae de scientia mystica
quæri possunt: nam & huic scientiae primas me-
rito

*Psal. 33.
Serm. 36.
in Cant.
1. Cor. 8.*

rito tribuimus, tamquam ad salutem necessa-
 riz. Illud quoque præstantissimum studium
 est, quo animus à Deo pascitur & inflammatur.
 Denique nobilissimus ille finis est, qui in Deo
 conquiescit, à quo nos perficimur, ipsumque
 Diuinū Numen colitur & honoratur. D. Gre-
 gorius hanc affectus scholam sic commendat,
 vt existimet discipulum proficere non posse, si
 ab hac procedendi ratione desciscat; loquens
 enim de iis, qui toti in speculatione & opinio-
 ne scientiæ inanem pietatis appetitum relin-
 quunt, sic ait: Neque enim ea querunt, ex quibus se-
 metipsos ad humilitatem erudiant, mores in tran-
 quillitate disponant, patientiam seruent, longanimi-
 tatem exhibeant; sed ea solummodo, quæ eos doctos
 ac loquaces demonstrant: illa scire appetunt, ex qui-
 bus singulariter eruditi videantur. Itaque quia de
 sublimitate intelligentia quanto amplius repleti am-
 biunt, tanto amplius inanescunt; bene de iis dicitur,
 Egestate & fame steriles: immoderatis namque ausi-
 bus, cognitionis supernæ scientiam quo plus appetunt,
 plus amittunt. addit idem: Quia dum in sacri verbi
 pabulo plus querunt sentire quam capiunt, semper à
 veritatis cognitione ieiunant; & prædicamenta do-
 ctrina, quæ student ad questionem querere, habere
 non valent ad refectionem.

Li. 20. Mo-
ral. cap. 8.

Iob. 30.
Li. 18. Mo-
ral. c. 7.

16. Quartum Matris sapientis præceptum
 est, vt, quæcunque discimus, ad Praxim disca-
 mus & referamus, & ex omnibus rebus pabu-
 lum nobis conficiamus. Omnia munda mundis;
 esurientibus omnis panis dulcis est; spiritualibus
 omnia spiritualia sunt, & diligentibus Deum omnia

4.
Praxis sci-
entia.
Tit. 1.
Eccle. 23.
Rom. 8.

coope-

Act. 1. *cooperantur in bonum.* Cœpit enim IESVS facere
& docere. Satis ergo non est Philosophiam aut
Theologiam, etiam mysticam, addiscere, mul-
ta de DEI PERFECTIÖNIBVS audire, pluri-
ma præcepta moralia excipere; sed agendum
est, ad Praxim veniendum. Cognitionis finis
Actio: alioquin manca & inanis scientia omnis
reputanda est, Non qui sciuerit aut docuerit,
sed qui fecerit, *hic magnus vocabitur in regno celo-
rum.* Ad hoc præceptum alter huius Operis li-
ber totus refertur: sine eo cetera parum pro-
funt. Sancti enim non exultant cum cognos-
cunt quæ faciunt, sed cum faciunt quæ cognos-
cunt: &, teste Diuo Gregorio, *non est securi-
latitia, in diuinis paginis vel fortia vel multa cognos-
cere, sed cognita custodire.*

Matth. 5.

*Li. 22. Ma-
ral. c. 4.*

5. 17. Ultimo satis inculcari non potest, vt, qui
*Humilita-
tis amor.* sapientiæ Scholas adeunt, pro symbolo ac tel-
fera primaria, virtutis humilitatis insigni indu-
antur; sine qua non modo scientes veri non e-
runt, sed stupidi & insipientes reputabuntur. I-
deo D. Augustinus quibusdam locis PERFECTIÖNEM in humilitatē constituit. *Vt persiciamini,* inquit, *primum præcedere debet confessio peccatorum, salubris pœnitentia; quæ valet ad corrigendū hominem, non ad irridendum Deum. Cū aut post pœnitentiã bene viuere cœperit, habet adhuc quod cogitet: ne sibi tribuat quod bene facit; sed illi gratias agat, cuius gratia factum est vt bene viueret; quia ille illū vocauit, ille illū illuminauit. Ergo iste iã perfectus est? Non; adhuc ei deest aliquid. Quid illi deest? Vt non superbiat super eos, qui necdum sic viuunt, quomodo ipse*

*In Psal 93.
serm. 2.*

ipse viuit. Hæc Augustinus, & concludit scribens in Psalmum 130 Ipsa est PERFECTIO nostra humilitas. Diuus vero Gregorius in illa verba *In Psal. 130. sub finem.* Iob, Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias? ita ait, Perfecta scientia est, scire omnia, & tamen iuxta quendam modum scientem se esse nescire. alio item loco: Arrogantes ab inuestigatione mysteriorum Dei elatio ipsa scientiæ eiicit, dum extollit: est enim obstaculum veritatis, tumor mentis; quia, dum inflat, obnubilat. Foris acuti, intus cæci, nec de DEO sentiunt quod dulce interius sapiat, sed quod excussum exterius sonet. Hæc Gregorius.

18. Quæ quidem omnia non tam de studio litterarum intelligenda veniunt, quam Theologiæ mysticæ seu PERFECTIIONIS acquirendæ. Superbiæ namque materia ac fomentum virtus est, & cognitio; atque in illis vanitas male blanda grassatur. In utroque studiorum genere eius magna occasio ac seges: eo tamen sæpius ac periculosius laruata sese ingerit in rerum sublimium notitiam, quam humilium, quo difficilius cognoscitur. Eam detegent fugabuntque; singularis animi submissio, amor virtutum, earundem Praxis, cognitio sui ac Dei; & in omni studiorum genere magno erunt & ornamento & præsidio. Et ne longior sim, subiiciam quæ B. Thomas Aquinas (quem vobis virtutis & eruditionis ducem delegistis, ideoque gratiorem eius doctrinam ac monita vobis esse mihi persuadeo) in quadam epistola appositissime huic instituto respondet: supplebit quod breuitati *Epist. de modo acquir. scientiæ.* studen-

opus.

68. tom. 17.

6.

Præcepta
congloba-
ta.

Can. 2

Eccle. 3.

studētes omittimus. Quæsierat ab eo è Religi-
osis quidam studiosus, qua ratione studia sua
institueret: eidem responder in hæc verba: *Quia
quæsiuisti à me, mihi in Christo carissime Ioannes, qua-
liter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquiren-
da; tale à me tibi super hoc traditur consilium, vt per
riuulos non statim in mare eligas introire. Hæc est ergo
monitio mea, & instructio tua. Tardi loquum te esse iu-
beo, & tarde ad locutorium accedentem. Conscientia
puritatem amplectere. Orationi vacare non desinas.
Cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam in-
troducti. Omnibus te amabilem exhibe. Nihil quære pe-
nitus de factis aliorum. Nemini te multum familiarē
ostendas: quia nimia familiaritas parit contemptum,
& subtractionis subito materiam subministrat. De ver-
bis & factis secularium nullatenus te intromittas. Di-
scursus, super omnia fugas. Sanctorum & bonorum
vestigia imitari non desinas. Nō respicias à quo audias
sed quidquid boni dicatur, memoriæ recommitte. Quæ
legis & audis, fac vt intelligas. De dubiis te certifies:
& quidquid poteris in armariolo mentis reponere,
satage: sicut cupiens vas implere. Alia te ne quæsi-
ris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vinea
Domini Sabaoth vitales, quamdiu vitam habueris, pro-
feres ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attinge-
re potes, quod affectas. Hæc B. Thomas.*

19. Quibus quod addam, ad excitandos littera-
rum studiosos, & stimulandos virtutis pugiles,
nihil habeo. Operis Epigraphen, **STVDIVM
PERFECTIONIS**, exposui: finem facio, libellos
hos vobis, quorum gratia scripsi, animo quem
nostis, offerens. quibus si dubiis vestris abun-
de la-

de satisfiat, Deum laudate: utimini, fruiimini ad
diuini nominis gloriam: sin minus, æqui boni-
que consulite. Dominum JESVM diligite: bene-
dictam eius Matrem Virginem, huius palæstræ
Præsidem, colite. Valet. Duaci, 2. Iulii. An-
no M. DC. X.

Omniū seruus in Christo

IOANNES CROMBECIVS



INDEX